DISCVRSVS PRO CAPITVLO SANCTÆ ECCLESIÆ METROPOLITANÆ CÆSARAVGVSTÆ in cauſa diſtributionum, ſeu ſtatuti.

INTRODVCTIO.

IN hac grauiſsima lite, quæ triginta ferè annorum ſpatio Eccleſiam Metropolitanam vexat, & eneruat, variè ſenſit Sacra Rota; vt videre licet eiuſdem deciſsiones intuenti. Primò namquè iudicauit manutentionem denegandã fore Portionarijs coram Sacrato 3. Aprilis 1620. ſolidiſsimis adductis fundamentis, quæ referuntur à *Poſthio deciſ.* 154. Poſtmodum producto de nouo à Portionarijs ſtatuto, quo cauetur, *Quòd Maſſæ antiquæ diſtributionum quantitas neceſſaria ex nouis iuribus, & bonis Canonicorum taliter addatur, vt cuilibet Canonicus pro diſtributionibus quotidianis in qualibet die habeat regalia ſex, Portionarius verò regalia tria*, receſsit à deciſsis Rota coram Coccino Decano 20. Aprilis, & 21. Iunij 1621. quia cenſuit poſſeſsionem Portionariorum Statuto adminiculatam ſuperare debere poſſeſsionem Capituli. Deindè iterum propoſita cauſa ab eodem Decano 17. Nouembris 1623. receſsit Rota à deciſsis 20. Aprilis, & 21. Iunij 1621. & mandatum denegauit Portionarijs. Quam deciſsionem roborauit 19. Aprilis 1624. vt refert *Poſthius deciſ.* 185. vbi dixerunt Dñi validitatem ſtatuti reſpicere Petitorium, & ad effectum manutentionis ſtatum poſſeſsionis tantùm modò attendi debere; & ſententia in fauorem Capituli prolata, concludit deciſsio, *Non eſſe vlteriùs elaborandum in hac prætenſione, ſed procedendum in cauſa ſuper bono iure in negotio principali;*

pali; quia, inquit, in hoc articulo abundè fuit partibus satisfactum.

Hæc, quæ Rotæ censura securum poterant reddere Capitulum, parum felicem exitum habuere; Nam 19. Iunij 1625. fuit resolutum in fauorem Portionariorum, quibus concessa est manutentio in statu quo erant ante factam diminutionem post decis. Sacrati per modum temperamenti, donec reuideantur computa à Capitulo oblata; & proposito Dubio, an constet de diminutione, quæ suffragari possit Capitulo? Negatiuè respondet Rota, plurimis ad id factis decisionibus 6. Iunij 1629. 23. Ianuarij 1630. 9. Decembris eiusdem anni, & 26. Aprilis 1632. Quibus ducta 24. Nouembris eiusdem anni censuit dandam esse manutentionem in possessione exigendi tria regalia qualibet die pro distributionibus diurnis, sine preiudicio iurium super vltris, absentijs, & alijs vt in statuto, & firmauit 28. Ianuarij 1633. Aliæ decisiones emanarunt ad exequendum mandatum primum, & secundum concessum Portionarijs integræ, & dimidiæ distributionis, qui non litigarunt; quarum ad præsens meminisse non est opus, cùm ad exequutionem tendant. Deniquè extat decisio 10. Februarij præsentis anni circa denegationem Remissoriæ ad fauorem Portionariorum, & 13. Ianuarij pro Dignitatibus, vbi multùm mouet DD. statutum ad ferendam contra Capitulum sententiam.

Apparet ergo ex tàm longa, & diffusa decisionum serie potissimum fundamentum infelicitatis Capituli consistere in dispositione prædicti statuti. Sed quia in iudicio manutentionis summarissimo, etsi producatur titulus, nō est cognoscendum de eius validitate, *Coccin. decis. 156. num. 3. Ludouis. decis. 322. num. 4. Posth. decis. 264. num. 3.* nunc Rota de bono iure pronuntiare cupiens, necessariò de iustificatione statuti iudicare debet, vbi notoria Capituli iustitia patefiet, si statutum nullum probetur; quod vt assequi valeam, sequentes mihi propono fulciendas conclusiones. Prima tenet, statutum Bullæ sæcularizationis contrarium, esse nullum. Secunda probat implacabilem pugnam, & contradictionem reperiri inter statutum prædictum, & Bullam. Tertia suadet, adhuc posita validitate à principio, attendendum non esse

statutum,

ſtatutum, propter obſeruantiam in contrarium, & reuocationem expreſſam. Tandem ſatisfiet omnibus, quæ in fauorem partis aduerſæ dici poſſunt.

Statutum Bullæ contrarium eſt nullum.

PRimò probatur ex præfatione ſtatuti, ibi: *Para que las diſtribuciones del Coro ſe repartan, como diſpone la Bula de la Secularidad.* Quæ verba, cùm rationem prooemialem conſtituant, cauſam finalem demonſtrant. *Bart. in l. fin. de hæredi. inſt. Iaſon in l. ſi pacto. num. 14. verſi. 1. col. 3. C. de pactis*, ita vt ceſſante hac ratione ſtatuti, ceſſet diſpoſitio; cùm eàtenus poſsit ſubſiſtere, quatenus diſpoſitio Bullæ patiatur. *Gomez in reg. de veroſimili noti. quæſt. 3. & in reg. de annali quæſt. 1. Portius Imola conſ. 123. num. 18. Roland. conſ. 49. lib. 1. Menoch. præſump. lib. 6. cap. 2. nu. 27. Moli. de primog. lib. 1. cap. 5. num. 5.* punctim *Valenzuela conſ. 119. à num. 81.*

Cuius rei ratio depromitur ex alio iuris principio, quo cauetur in ſtatutis mentem ſtatuentium attendendam fore. *Alex. conſ. 54. num. 9. & ſeqq. vol. 4. Oſaſcus deciſ. 58. num. 7. Aderan. Maſcard. de ſtatu. interpret. conclu. 2. num. 185.* Quo fit, vt vbi nõ habet locum præfatio, quæ eſt ſtatuentium mens, nec etiam locum ſtatutum habebit. *Bertazol. conſ. crimin. 210. num. 19. lib. 1. & conſ. 439. num. 23. lib. 2. Oſaſc. d. deciſ. 58. num. 6. Lamfran. in cap. Quoniam contra in 2. notab. de proba.*

Et licet non deſint grauiſsim. DD. tenentes prædicta intelligenda fore, quotiens non adeſt in ſtatuto ſpecialis determinatio præfationi contraria, nam tunc potiùs diſpoſitioni, quàm præfationi ſtandum ſuadent, vt ex *Menoch.* & alijs refert *Maſcar. vbi ſuprà num. 187.* Verum doctrina iſta ſublimitatur à *Maſcard. num. 188.* in illis verbis, quæ mirificè conueniunt noſtro caſui, *Sublimita niſi præfatio ſtatuti haberet, vt dicebamus, in ſe rationem expreſſam quare ſtatuentes fuerint moti ad ſtatutum condendum; nam tunc ſtabitur potiùs præfationi ob rationem finalem in*

ea expressam, quàm dispositis, & determinatis à statuentibus, qui in tali casu dicerentur errasse in modo determinandi, & concludendi eorum intentionem, & mentem, postquam qualis esset iam expresserunt apertè in præfatione, nec censentur se in eodem actu correxisse, aut sibi ipsis contrariasse. Et ideò postpositis verbis statuti erit illius sensus, & intellectus regulandus à ratione expressa in præfatione, quæ dicitur esse anima statuti, & quæ si saluari non potest vt dicebamus, nec etiam sensus literalis, & planus ipsius statuti sequendus erit. Statuentes voluntatem in procemio exprimunt, vt distributiones iuxta Bullam diuidantur. Ergo si aliter in statuto reperiuntur diuisæ, potiùs Bullæ, quàm statuto adhærere debemus. *Rota per Ludouis. decis.* 531. *num.* 5. *Farin. decis.* 388. *p.* 1. *in nouis. num.* 1. & *decis.* 412. *num.* 1. *decis.* 557. *nu.* 2. *in posth. p.* 1. & *decis.* 597. vbi loquitur in statuto authoritate Apostolica confirmato. *Marescot. variar. lib.* 2. *c.* 67. *num.* 51. *Gratian. discept.* 558. *num.* 24.

Et confirmatur ex finalibus verbis eiusdem statuti, ibi; *Conforme a la dicha Bula de la Secularidad*, quæ iuncto principio euincunt statutum conditum fuisse in exequutionem Bullæ, & sic Bullam attendi debere; quia quoties actus fit in exequutionem alterius, non attenditur ipse, sed ille, in cuius exequutionem factus est. *Decianus cons.* 3. *num.* 6. *vol.* 1. *Craueta cons.* 135. *num.* 13. *Mantica de tacit. lib.* 16. *tit.* 15. *num.* 38. Nam vt inquit *Surd. decis.* 288. *num.* 33. exequutio non debet differre à tractatu, quia à primordio tituli posterior formatur euentus. Eleganter, alijs iunctis, *Ramonius cons.* 37. *à num.* 78. *cum seqq.*

Rursus ex natura relationis probatur assertio; quia si scriptura referens, & relata extant, minus autem continet relata, quàm referens, restringitur ad id dumtaxat, quod relata continet, vt latè tradit *Castillo tom.* 4. *cap.* 43. *nu.* 22. vbi habet relationem ita fieri debere, nè plus minùsve sit in referente quàm in relato; relatum enim, & non referens debet attendi; & ideò non operatur, nisi quatenus in relato reperitur, & *num.* 26. punctim in rem nostram. *Quòd si plus esset in referente, quàm in relato, illud plus non attenditur, quia dicitur per errorem appositum.* Et *num.* 27. *Quòd si referens aliter loquatur quàm relatum, respicimus ad relatum.*

Viden-

Videndus ipse *tom.7.de tertijs.c.5.num.8.Amatis decis.49.num.11.Camillus de Medicis consi.159.Fontanell.de pact.clau.14.glo.vni.p.1.tom.2.ex num.26. Barbos.axiom.201.num.6.* Cùm igitur statutum se referat ad Bullam, quod aliter disponit, tanquam erroneum corruit, & non attenditur.

Secundò, & si nihil in præfatione reperiretur ad eruendam statuentium mentem, statutum sustineri non posset data contrarietate Bullæ; quia in ea adest decretum irritans, & clausula sublata, quæ totum inficit. *Cap.si eo tempore, de elect. in 6. Anton. Gabr.lib.5.tit.de clausul.conclus.3.num.36.Barbos.claus.40. nu.2.Valenzuel.consi.128.Caputaq.decis.325.num.2.p.1.Rota decis.3.per totam, de restit.spolia.Posthi.decis.186. num.* 4. vbi aliæ decisiones.

Hinc fit, quòd adeo decretum irritans omnes effectus tollat eorum, quæ contra illius dispositionem fiunt; vt nec aliquod iuris fomentum habeant. *Puteus decis.50.num. 2. Cassador. decis.1. num.7.de restit.spolia.* quia habet oculos retrò, & operatur nullitatem à principio. *Rota decis.24.num.5.p.2.diuers. Graßis decis.2.nu.85.* Et dicitur habere inhibitionem in ventre. *Cassador. decis.2.num.6.de restit.spolia.* Et vim priuatiuam, & auocatiuam potestatis. *Ferretus cons.314.num.10.lib. 2.* Et est penetrabilius omni gladio ancipiti. *Bellamera decis. 535.* ac denique est adeo pestiferum, & malignantis naturæ; vt sicut fulgur quidquid inuenit in oppositum destruat, & secum ducat. *Menoch.de recuper. remed.16.num.444.* Et plurimis adductis *Gonzalez glos.fin.Barbosa vbi supra. Salgado de Regia potestate 3.p.c. 10. à num. 62. Farin.decis.41.num.9.*

Et quàndo est impositum à Papa (vt in nostro casu) omnes ligat scientes, & ignorantes, *Puteus decis.175.num.3. lib. 1. Rota decis.578.num.3.p.1.diuer.Barbosa vbi supra nu.7.* Et, quod magis est, ipsum Papam. *Cassad.decis.5.de concess.præbend. Ricci.p.5.collectan.1596. Marta claus. 191. Barbos. num. 10.* præcipuè stante clausula vt hîc, qua Rom.Pontif. vult decretum se, & successores ligare, *Gonzalez d.glo.vlt.num.25.*

Tertiò, & si deficerent proœmium, & decretum irritans; sustineri non posset statutum contrarium Bullæ; nam illud condi-

tum fuit virtute clausulæ generalis,qua facultas tribuitur ad statuta condenda. Et certum est generalitatem non comprehendere specialiter disposita ; nam verba vniuersalia , vel generalia restringuntur ex specificatione speciali præcedenti , ex celebri *decis. Afflict.45. & ibi Vrsilis in additio. Oldrad.cons.8. Quidam paterfamilias per tot. Geminian.cons.65.à num.4. Bald.cons.485. statuto Ciuitatis num.2.vers.quia species.lib.1.& cons. 305. verba principis.num.2.vers. modo duo.lib.1.* Et est celebris doctrina *Iasonis in l.talis scriptura,num.30.de leg.1.* vbi loquens punctim de dispositione legis facta sub verbis generalibus in clausula finali inquit non referri ad casus præcedentes , in quibus specialiter fuit prouisum. Et sunt omnino videndi in proposito *Alex. cons.48.num.7.lib.1. Signorol.cons.181.num.13.in fin. & num. 14.vers.nec huic obstat plenißime, Roman.cons. 152. præsens accusatio.col.2.num.3. vers. nec secundo loco , vbi apostil. in verb. præcedentia, & cons.503.num.4.* vbi etiam *apostil. in verb. specialis, Roma.cons. 112.* visa præmissa dubitatione , & *Iass. cons. 38.lib.1. Alex.cons.125.viso titulo num.9. versi. hoc etiam apparet lib.2. & cons.226.ponderatis,num.5.versi.quarto quia, &c. lib.6. & Abb.cons.33.num.5.in fin.versi.præterea verba illa lib. 2.* & innumeri alij,quos longa manu congerit *Card. Tusch. conclu.40.* verba vniuersalia,vel generalia restringuntur ex specificatione præcedenti. Sed sic est,quod in spetiali dispositione Bulle reperitur, bona suppresſionum Canonicis dumtaxat quærenda fore, & materia distributionum, & erectionis bursæ particulariter committitur Archiepiscopo(vt infra latius)ergo fieri non potest,vt ex generali potestate statuendi hæc infringantur.

Et est iuris axioma tritum,& vulgare,eùm qui specialiter aliquid disposuit voluisse id ipsum à generalitate eximere , vt sic vtraque dispositio generalis scilicet, & specialis subsistat, vt eleganter *Petrus Pechius in c.generi.num.4.de reg.iuris,* latisſimè *Castillo lib.5.c.95.num.3. Tusch.conclu.36.*

Quartò,& si omnia prædicta deficerent, statutum nullum esset data contrarietate ex protestatione statuentium ; ij enim die 12. Decembris anni 1607. cùm ageretur de acceptatione statutorum,dixerunt nolle admittere illa , quæ contraria sint Bullæ,

iuri,

iuri,aut Conc. Trident. (extat instrumentum in Notis Ioannis Moles,& in lib.de gestis Capituli 3. Septembr. eiusdem anni, & producitur in processu). Protestatio igitur tollit consensum ab actu,& conseruat ius. *l. si debitor quibus modis pignus, l. non solùm,§.morte de noui operis nuntiati. l. libera,C.de senten. & interlocu. Zasi.cons.13.num.40.lib.1.Ioan.Bapt. Ferretus cons.26. num.17.Roman cons.353.Bald.in l.contra.§.si filius de pactis.*

Nec si maximè vellent, acceptare potuissent statutum, cùm stabilitum sit,*cap.4.p.5.tit.de la obseruancia de los Estatutos*, ab eisdem statuentibus statuta contenta in quinque partibus (vbi sedem habet,quod in disceptationem vocatur) obseruanda fore, non obstantibus quibuscunquè consuetudinibus, etiam immemorialibus,& alijs statutis in contrarium; vbi reuocat, & annullat statuta contraria statui seculari, & Conc. Trident. Status autem secularis formatur in Bulla erectionis; quare statuta contraria Bullę eo ipso irrita, & inania veniunt iudicanda ex aliorum statutorum dispositione. Cumquè actus humani pendeant à voluntate, potestate,& forma, *l.cùm te,C.de donati.c.cùm super de off. deleg.Bald.cons.326.num.2.lib.1. Menoch.cons.75. num.34.* Omnia in præsenti deficiunt, cùm omnia concurrere deberent ad validitatem statuti; nam deficit voluntas contra Bullam statuendi ex ratione prooemiali, & protestatione expressa, potestas verò ex decreto irritanti,speciali dispositione Bullæ,& statuto,quod non patitur aliquid statui contra statum sæcularem.

De multiplici contrarietate inter Statutum,& Bullam.

PRobatum remanet ex huc vsquè traditis statutum contrarium Bullæ esse nullum; nunc verò probandum superest contrarietatem manifestam reperiri inter statutum prædictum & Bullam. Quod liquidò constabit animaduertendo bona dignitatum suppressarum Mensæ Capitulari applicata fuisse ad vsum, & commodum Canonicorum dumtaxat, vt habetur in eadem Bulla *num.*51.ponderata dictione,*dumtaxat*, excluduntur à participa-

ticipa-

ticipatione omnes casus,& personę præter expressas, vt latè *Barbos.dicti.97.à prin.*vbi alij. Et in tantum est taxatiua, & restrictiua,vt concludat negationem in alijs personis. *Cardin. in Clem.* 1. *de sequest.posses.& fructuum,in cap.contingit.* vbi etiam *Felin. de fide instrum.Bart.in l.si quis.§.Cùm Titio,de adimen. legatis. Cenedus sing.*18.*num.*5.*Barbos.vbi suprà,num.*3.

Quod adeo verum est, vt dictio, *dumtaxat*, & aliæ taxatiuæ appositæ dispositioni de aliquid faciendo, formam,& solemnitatem inducant, ita vt ipsarum transgresio vitiet actum, *Paris. cons.*19.*num.*19.*vol.*2.*Mandos.in regul.*8.*Cancel. quæst.*6. *Cenedo singul.*18.*num.*4.*Barbos.vbi suprà num.* 9. vbi rationem reddit, quòd ista dictio habet vim non solum prohibitionis tacitæ, sed etiam expressæ, vt per *Roman.cons.*114.*nu.*5. *Marcus Anton.Amatis decis.*14. *num.* 10. prout refert *Salgado de retentio. Bulla.*2.*par.cap.*17.*num.*14.*cum seqq.* quibus iungitur *Surdus decis.*291.*num.*19.

Et iteratò repetit Bulla dictionem, *dumtaxat*,& addit dictionem, *solos*,eiusdem naturæ. *Farina.decis.*445.*num.*8.*p.*1.*recenti.* vt intret *decis.Clem.*1.*de rebus Eccle.*ibi: *Non potest negari,quia seriosè fuerit dictum, cùm toties fuerit repetitum; quia geminatio enixam voluntatem demonstrat.l.Ballista ad Trebell.l.*1.*de adili. ædict.Ricci.collect.*1125. Et vt inquit *Barbos.* in nostris terminis *lib.*1.*voto* 15.*num.*21.*post praxim exigen.pensi.*Eo magis confirmatur,quia adest trina geminatio verborum resistentium,quæ in simul iuncta operari necessariò debent effectum illum,quem eorum quodlibet de per se operari non poterat.

Facta ista applicatione per Bullam ad commodum Canonicorum dumtaxat,ex dispositione statuti admittuntur Portionarij, & Beneficiati, cùm eo caueatur adiungi debere de Mensa Canonicali quantitas necessaria Massæ communi Anniuersariorum,vt sufficiat ad consequendum quilibet Canonicus (idem in Dignitatibus)regalia sex,& Portionarius tria. Ergo statutum facit Portionarios participes Mensæ Canonicalis,dum eam grauat onere adiungendi de proprio quantitatem necessariam; quod quidem fieri non potest sine repugnantia Bullæ, quæ à tali participatione excludit omnes.

Secun-

Secundò statutum aduersari dignoscitur Bullæ, quæ *num.*78. mandat, vt Archiepiscopus cum consensu Capituli vnam massam communem constituat; qua participent Dignitates, & Canonici tantùm; hæc necessariò debet intelligi diuersa ab antiqua, in qua nihil iuris habuerunt Dignitates; & Bulla *num.*41. decernit, *vt quæ erant pro regularibus*, *sint pro secularibus.* Ex quibus colligitur iuxta decretum Bullæ duas constituendas esse bursas; prima antiqua prout erat ante secularizationem pro Canonicis, & Portionarijs, secunda noua pro Canonicis,& Dignitatibus;ita vt antiquæ non participent Dignitates , nec nouæ Portionarij; Ad vtramquè autem admittantur Canonici æqualiter cum Dignitatibus,& portione dupla cum Portionarijs.Hæc cùm ita procedant ex dispositione Bullæ,confunduntur per statutum vnicam tantùm bursam constituens,vt ex ea lucri faciant Dignitates , & Canonici regalia sex,Portionarij tria; In quo dupliciter contrariatur Bullæ,& in eo quod admittit Dignitates ad participationem bursæ antiquæ , & in eo quod participes facit Portionarios massæ nouæ, in graue præiuditium Canonicorum qui fraudantur ex admissione Dignitatum ad bursam veterem, & admissione Portionariorum ad nouam, vt de se patet.

Tertiò iuxta dispositionem Bullæ distributiones variantur ex varietate temporum , crescunt enim crescentibus fructibus , & diminuuntur,si illi diminuantur. Sic dicitur *num.*78.*in fine* ; *habita temporum* , *seruitiorum* , *& fructuum etiam excrescentium ratione*; per statutum designatur quantitas certa , videlicet sex, & trium regalium; ergo vel dicere oportet statutum aduersari Bullæ, vel fatendum est admittere statutum interpretationem à Bulla ; vt intelligatur designatio , & taxa ab eodem facta , data proportione fructuum ; vt his deficientibus , statutum obligare desinat,vt in præsenti,quòd adeo exhausta est bursa,vt non sufficiant eius redditus ad dandum sex regalia Canonicis , & Dignitatibus,& tria Portionarijs,etiam si tertia pars mensæ Canonicalis adderetur,in quo simul contrarium esset statutum Concilio Tridentino.

Quartò Bulla reseruat omnia priuilegia,indulta,& concessiones,quas habebat Capitulum ante secularizationem *nu.* 35. Sed

anteà poterat augere, & diminuere distributiones pro arbitrio, ex facultate sibi concessa per statutum Apostolica authoritate Benedicti XIII. roboratum; Ergo si quantitas statuti contentiosi esset futura certa, & immutabilis, statutum foret Bullę contrarium, quę reseruat priuilegia.

Statutum est nullum, quia non obseruatum, & quia reuocatum est.

OBseruantia communis, quòd aliquod statutum particulare non obseruetur, facit, vt statutũ non obliget; vt latè *Mascard. de interpre. statuto. num.* 152. quia inobseruantia illud inualidat. *Bart. in l. si quis priore ad Trebel. Roland. cons.* 32. *à nu.* 77. *Paris. cons.* 105. *num.* 6. *vol.* 4. *Surd. cons.* 58. *num.* 9. *Ruinus consi.* 13. *num.* 28. *vol.* 2. Quod multò magis procedere debet in præsenti, vbi quemadmodum conceditur facultas Capitulo statuta condendi, ita similiter tribuitur potestas exequendi libere statuta condita. Residente igitur penes Capitulum, & Archiepiscopum potestate statuendi, & exequendi statuta, standum erit obseruantiæ, ita vt statutum non obseruatum in nulla consideratione sit habendum. *Alderan. Mascard. conclu.* 8. *num.* 29. *&* 30.

Quod autem statutum obseruatum non fuerit, probatur euidenter ex confessione facta à Portionarijs, quæ dicitur maior probatio, & fortior de mundo. *Iass. in l. Cùm te transegisse* 3. *notan. num.* 5. *Mascard. de probat. conclu.* 1223. *num.* 15. Et quòd sit omnibus efficacior, probat *tex. in l. generaliter in fine, C. de non numer. pecun. c. per tuas de probat. c. si cautio de fide instrum.* Et quod superet probationem mille testium, dixit *Rota* per *Ludouis. decis.* 434. *&* 357. *num.* 3. vbi *Beltramin. num.* 7. Et in terminis, quod ex positione resultet explicita ponentis confessio. *Bart. in l. certo. §. si quis absente de confessis. Decius cons.* 445. *num.* 17. *Alex. cons.* 83.

Confessio autem inobseruantiæ statuti manifestè apparet in libello Portionariorum, qui tàm coram Ordinario, quàm coram Iudice appellationis dixerunt se esse in possessione à tempore imme-

immemoriali vſquè ad præſens(videlicet 12.Auguſti 1611.)lucrandi dimidium eius, quod Canonici lucrantur. Et inquiunt, quòd Decanus,& Capitulum ſunt ſoliti dare pro Prima ſolidos triginta,pro Tertia,& Sexta ſolidos 142.& denarios 3.pro Nona quadraginta ſolidos, & denarios decem; pro Veſperis ſolidos 104.& denarios 2. & pro Completorio ſolidos 30.& in diebus Sabbati 34. Et per conſequens excludunt,quòd perceperint regalia tria, cùm illa quantitas ſufficere non poſſet, vt viginti quatuor Canonici,duodecim Dignitates,& ſexaginta Portionarij,& Beneficiati habere poſſent,illi ſex,iſti regalia tria,vt Arithmetica demonſtratione patet ad ſenſum, & firmauit Rota 17. Nouembris 1623.quæ eſt apud *Poſthi.deciſ.* 185.

Neque ſatisfacit ſolutio,& conſideratio illa, de qua per *Rotam deciſ.* 21. *Iunij* 1621. quòd nimirum licet hæc petitio facta fuerit in libello,non inde conſtat, quòd Portionarij falſi fuerint hunc fuiſſe vltimum ſtatum,& non implicat, quòd in petitorio petierint iuxta primum ſtatum; & quòd poſteà,re meliùs conſiderata, voluerint in poſſeſſorio petere iuxta vltimum ſtatum. Conuincitur enim ineuitabiliter ex eodem libello, vbi ſemper & continuò dictum fuit obſeruari; quæ dictiones interpretationem excludunt,vt benè conſiderauit *Rota d.deciſ.*17.*Nouembr.* 1623. cui nunquam fuit congruum allatum reſponſum. Nequè illud, quòd in defectu mandati conſiſtit, applicari poteſt, cùm adſit procuratorium in actis, vbi plena facultas procuratori tribuitur.

Et vellem DD.animaduertere in petitorio, vbi promittunt pleniùs,& exactiùs examinare materiã *deciſ.*10.*Februarij* 1640. *circa finem*,teſtes Portionariorum deponentes prout articulatur probare in obſeruantiam ſtatuti, vt illam probat confeſsio. Sin autem,ex eorum dictis colligatur contrarium, & probent poſſeſsionem ſex & trium regalium,attendi non debere; quia teſtes extra articulata nihil probant.*Farin.q.*20.*num.*1.*Maſcard.conclu.*1265.*num.*1.

Nec dicatur additam fuiſſe quantitatem 3400. ₶. vt inde obſeruari potuerit ſtatutum; quia adiectio iſtius quantitatis fuit 1. Aprilis 1607. & ſtatutum non fuit publicatum vſquè ad men-

ſem

ſem Iulij eiuſdem anni. Cùm ergo adiectio ſtatutum præcedat, dici nequit facta in exequutionem, & obſeruantiam ſtatuti. Et licet in executionem ſtatuti facta fuiſſet, non ſufficeret. Nam, vt ex actis colligitur, etiam ſi addantur 3400.₶.& numerentur bona propria burſæ, nullis deductis oneribus, non efficient redditus annui 16000.₶.& ad dandum ſex,& tria regalia requiruntur 18000.₶. quæ non ſolum faciunt ſtatutum inobſeruatum, ſed inobſeruabile.

Tandem ſuadetur inobſeruantia ſtatuti; nam diſponit, quòd vltræ abſentium intereſſentibus accreſcant; & fatentur Portionarij nunquam fuiſſe exequutioni de mandatum in hac parte.

Supereſt, vt de reuocatione diſſeramus, quæ fundatur in erectione burſæ facta ab Archiepiſcopo de conſenſu Capituli anno 1614.quam erexit ex tertia parte fructuum Menſæ Canonicalis iuxta decreta Concilij Tridentini, & ſeparauit à burſa veteri 3400.₶.quæ(vt dictum eſt)fuerant additæ,& voluntas reuocandi ſtatutum meliùs declaratur re ipſa factis, quàm verbis. *l.ſi tamen.§.ei qui ſeruum de ædili ædict.Ant.de Butr.in c.1.num. 11. de dolo,& contuma.Tiraq.de retract.conuen.ad finem, num. 76. Rebuff.de pacifi.poſſeſſ.num.149.Valenz.conſ.105.num.97.*

Agnouit *Rota deciſ.26.April.1632.verſic. Quantum attinet reuocationem factam eſſe*; ſed negat id licuiſſe Archiepiſcopo, & Capitulo; quia 3400.₶. (inquit) fuerunt applicatæ authoritate Bullæ ſecularizationis(in quo eſt male informata; quia, vt ex ſupradictis conſtat, imò fuit contra Bullam applicatio, ſi quidem bona, quæ erant prò ſolis Canonicis, communicat Portionarijs, & Beneficiatis) & addit ſtatutum authoritate Apoſtolica confirmatum effici Papale, nec reuocari poſſe per Archiepiſcopum, vbi inferiorem, *cap.cùm inferior,de maiori & obedien.*

Facilè tamen tollitur iſtud fundamentum, animaduertendo retorqueri contra partem aduerſam, nam ex eo dicitur Papale, quia in Bulla fuit à Rom.Pont.data facultas condendi ſtatuta; in eadem Bulla idem Pontifex concedit facultatem reuocandi; Ergo etiam reuocatio dicetur Papalis; à pari enim procedunt, nam qui poteſt inſtituere, poteſt deſtituere: iuxta *tex. in cap. cùm ex iniuncto,c.1.& 2.de Capell.Monacho.Can.certe 12. q. 1. Vincent.*

Gri-

Grilenz. conſ. 103. *num.* 79. latiſsimè *Maſcard. vbi ſupra concl.* 8. *à num.* 80. *cum ſeqq.*

Et ſignanter operabitur iſta reuocatio ex erectione burſæ contra dignitates, interuenerunt enim, & ſibi præiudicarunt; & ſi forſan dixerint non potuiſſe præiudicari à ſuis anteceſſoribus (quod an verum ſit, ſtatim examinabitur) idem replicabitur à Canonicis contra ſtatutum, ex *tit. quod quiſquè iuris.*

Solutiones Dubiorum.

DVo præcipua inſurgunt contra illa, quæ ex vera iuriſprudentia fulcita remanent. Primum, quod licet in Bulla adſit decretum irritans, & bona ſuppreſsionum cedant in vtilitatem Canonicorum dumtaxat, potuerunt iſti iuri ſuo renuntiando ſtatuere; quia eſt probabilis opinio, quòd quilibet poteſt renuntiare diſpoſitioni habenti decretum irritans in fauorem ſui, ita *Gabriel d. lib. 6. tit. de clau. conclu.* 3. *à num.* 25. *Gonzal. gloſ.* 67. *num.* 52. cum pluribus adductis à *Barboſa d. clau.* 40. *num.* 33. vbi teſtatur ita tenuiſſe *Rotam* apud *Cenſi. de cenſibus deciſ.* 59. *num.* 15.

Secundum (in quo aduerſarij ſuum conſtituent Achillem) conſiſtit in confirmatione Apoſtolica, quæ dicitur tollere defectum, & ſupplere omnes ſolemnitates, ex *Pariſ. conſ.* 24. *num.* 4. *lib.* 1. & plurimis ad idem adductis deciſionibus, dixit *Rota* in terminis iſtius ſtatuti *deciſ.* 13. *Ianuarij præſentis anni* 1640. in quo fundatur honorifica mentio ſtatuti ſæpiſsimè à *Rota* facta; nam in *deciſ.* 30. *Aprilis* 1621. ſtatutum dicit auctoritate Apoſtolica confirmatum 21. Iunij eiuſdem anni, idem firmat 26. Aprilis 1632. non controuertebatur, quòd legitimè fuerit conditum ſtatutum, & æquè confirmatum, & in fine dicit ſtatutum Papale, & in mandato dicit manuteneri, vt in ſtatuto Eccleſiæ. Et *deciſ.* 4. *Decembr.* 1634. iuxta formam ſtatuti: additur *deciſ. vlt.* 10. *Februarij præſentis anni.*

Quibus minimè obſtantibus, ſemper pro nullitate ſtatuti iudicandum ſpero, cùm in contrarium mouere non debeant dubia propoſita. Non primum, cui reſpondetur verius eſſe diſpoſitioni habenti decretum irritans renuntiari non poſſe per partes: *gloſſ.*

verb.processus in cap.dispendia de rescrip.in 6.glos.in l.1.C.de fideius.& manda. vbi *Bart.*idem in *l. Mæuius.* §. *duobus num.* 20. *de leg.*2.qui elegantem rationem reddit,quia prohibitiua dispositio necessitatem inducit.Vndè si ei renuntiari posset, in voluntate consisteret, quod est necessitatis. *Bald. in auth. generaliter. num.*5.*C.de Epis.& Cleri.Roman cons.*402.*num.*3. *Alex. consi.* 41.*Barbatia cons.*6.*col.fin.lib.*4. Vbi rationem subdit, quam dicit inconuincibilem; quia actus humani à potestate, & voluntate regulantur. Vndè si denegata est potestas aliter disponendi (per clausulã sublata)voluntas non sufficiet. Latè *Alder.Mascard.de statuto.interpre.conclu.*9.*à num.* 15. cui adduntur relati à *Barbos.d.clau.*40. *num.* 33. quò respexit *Rota in Gadiceñ. decima.*25.*Maij* 1637.*coram Ghiselerio.*

Secundò respondetur omnes Doctores conuenire renuntiari non posse dispositioni habenti decretum irritans, quoties illa tendit ad vtilitatem publicam, vt latè *Gonzal.glos.vlt.nu.* 53. Sed in præsenti Bulla applicando bona suppressionum pro solis Canonicis non attendit eorum priuatam vtilitatem, sed publicam Ecclesiæ fauorem, cuius interest pinguiores habere præbendas, ergo renuntiatio Canonicorum sufficere non potest.

Tertiò respondetur Capitulum esse administratorem, & sic non potuisse applicare ad alios vsus præter destinatos à Rom. Pont.*Clem.*2.*vbi gloss.verb.non ad alium de relig. dom.l.*1.*&* 2. §.*quoad frumentaria rerum ad Ciui.pertin.* Et dixit *Rota* in hac causa *decis.*23.*Ianuarij* 1630.*&* 26. *Aprilis* 1632. *ex Ludouis. decis.*154.*num.*5.qui loquitur in puncto de administratione Bursæ ad certum seruitium destinatæ.

Quartò respondetur Canonicos pro tempore existentes, non potuisse præiudicare successoribus distractione rerum ad Mensam Canonicalem pertinentium,quia antecessor in dignitate,seu præbenda non potest obligare successorem, qui non consensit. *cap.*1.*qui succed.tenea. vbi Bald.num.*3.*Hieron. Gabri. cons.* 83. *lib.*1.*num.*46.Hinc est, quòd Prælatus, vel Beneficiatus successor in beneficio non tenetur stare contractui prædecessoris. *Abb. in cap. ex literis.num.*7.*& ibi Decius de probationib. Tuschus lit. L.conclu.*419.*num.*16. ex ratione *Rotæ* per *Farina.decis.*778.*in*

recent.

recent. Præcipuè vbi in contractum deducitur id quod destina-
tum erat alicui ministerio. *Surd.cons.283.num.* 24. quod fortiùs
procedit hîc vbi alienatio imminuit ius Canonicorum, qui non
interfuerunt *Seraphin.decis.*207. Et renuntiatio, quæ redundat in
præiudicium alterius, vel iuris publici non valet. *Valasco de iu-
re emphy.q.27.num.*19.*Sarauia de Adiun.q.7.num.* 8. *Salgado de
reten.* 1.*p.c.*13.*num.*36.*cum seqq.* & melius 2.*par.cap.* 9. *num.* 89.
& 90.

Quinto, & vltimo respondetur statuentes noluisse renuntiare
iuribus Bullæ, cùm expresè fuerint protestati nolle statuere
contra dispositionem illius, nec contra ius Canonicum, & vtrum
què læditur applicando ex Mensa Canonicali massæ veteri, vt
suprà probatum extat.

Secundum obiectum tollitur, si rectè perpendatur confirma-
tionis natura; non enim est actus per se subsistens, sed præcisè
adhærens alteri actui; dicitur enim confirmatio quasi cum alio
firmatio; igitur vbi confirmabile est nullum, confirmatio nihil
operatur. *Bald.in l.falsus. num.*3. *C. de furtis. Decius in l. more.
num.*3.*de iurisdict. omnium iudicum, & in rub. de confir. vtili,
vel inutili.num.*2.*Sfortia cons.*77.*num.*19.*Corneus cons.*199.*nu.*
58.*vol.*2.*Riminal.cons.*5.*num.*137.*Caballinus q.* 29. Eleganter
*Valenzue.cons.*177.*num.*54.55. *&* 56. vbi habet, quòd confir-
mator non potest de nihilo aliquid facere. *Salgado* 2.*par. cap.*
17.*de Regia protect.*2.*par.cap.*14.*num.*19. *&* 20.*Surd.decis.*289.
*num.*8.*& 9.& cons.*47.*num.*19.*Cassador. decis. vni. de confirm.
vtili, vel inutili, num.*2. Quæ omnia probat *Rota decis.* 569. *nu.*
3. apud *Farin.*2.*par.recent.* Et in ratione procemiali multum ap-
plicabilis, & decisiua huius causæ, *num.*4. *& seqq. in posth. de-
cis.*597.*par.*1. Idem sensit *Rota* coram *Vsselen. Epis. Duran. de-
cis.*147.*num.*7.*Cocci.decis.*234.*nu.*5.*Mercuri. Merlini lib.* 3. *tit.*
2.*quæst.*9.*num.*13.

Et videtur satis in terminis *cons.Grilenzo* 103. vbi data facul-
tate à Pontifice Capitulo Ecclesię statuendi, & quod statuta eo
ipso essent confirmata auctoritate Apostolica *num.* 48. conclu-
dit non validari ista confirmatione statuta nulla, etiam illa quę
Canonici non poterant de iure communi statuere, *ex tex.in cap.*

penult.

penult. de constitu.& ibi glos. Ergo licet fuerit data facultas illorum Nuntio confirmandi statuta, non tamen illa, quę de iure non poterant Canonici statuere, videlicet applicando, quę erant vnius mensę ad vtilitatem alterius, &c. Vnde ipse *Grilenzo cons.* 100.*nu.6.*concludit his verbis, *Quare confirmatio dictorum statutorum ad ea tãtum se extendit, quæ de iure Canonici statuere poterant; non autem ad ea, quæ ipsi statuere non poterant.* Refert *Inno. in c.dudum ad finem de decimis, & ibi Hostien. Abbatem, Ioannis Andræam*, & sic fatetur decissum a *Rota decis.*31.*nu.6.Regis. per Cantur.in 2.vol.diuer.nouis.*

Nequè obstat quod sæpe dixit *Rota* in supradictis *decis.* & alibi passim confirmationem tollere defectum, & supplere solemnitates, quia intelligitur vt bene notauit *Ramona consi.* 37. intra terminos actus confirmati, non autem vt aliam speciem assumat; item quoad robur solemnitatis probationisve defectum. *Ruinus consi.*12.*num.*15.*lib.* 3. Non autem quoad substantialia; & ideò habilitas personæ inhabilis non sanatur. *Cap.dudum in fine de decimis.Tusch.verb.confirmatio conclus.*708.*num.* 49. Imò confirmatio etiam ex certa scientia facta non extenditur ad inhabiles, nec confert ius nouum supra habilitatem potestatemquè facientis actum, qui confirmatur, & concludit nostram controuersiam dirimens, propterea quòd confirmatio etiamsi fiat ex certa scientia, nequaquam extendit actum ad id quod facere non potuit exercens actum confirmatum. *Alex. cons.*122.*num.* 24.*lib.*4.*Castrens.cons.*162.*lib.*2. Nemo dicet potuisse Capitulum seclusa confirmatione statuere contra Bullam, nec inuertere applicationes Bursarum. Ergo omnes fateri coguntur confirmationem inutilem esse ad hos casus.

Et ad suadendum Rotæ nulla maior quàm ipsius auctoritas, & doctrina inueniri potest, ista in *Papień. aquarum* 4.*Iulij* 1612. vt per *Farin.decis.*430.*num.*5.*p.*1.*recent.* Dixit nostræ obiectioni satisfaciens; *Neque suffragatur ad hunc effectum confirmatio Apostolica, quia supponebatur alienationem fuisse factam ab habente facultatem. Vnde licet talis confirmatio suppleat defectum solemnitatis, non tamen supplet substantialia, videlicet potestatem alienantis, vt in terminis est decis.*2.*de confirmatio.vtili, vel*

inuti-

inutili in nouis.Crescen.decis.8.de præben.Felin.in c.2.num.42.de rescrip. & per Castrens.consi.84.num.4.lib.2.Ludouis. decis.113. num.8.vbi Addi.num.11.

Accedat protestatio Capituli sæpe repetita, & defectus mandati in procuratore, ex quibus colligitur statuta contraria statui seculari non habuisse consensum Capituli, & sic circa illa petita non fuit confirmatio,nec peti potuit. *Rota coram Bubalo in Burgen. decimarum de Scalarte* 30. *Ianuarij* 1589. vt *Farin. decis.* 544.*num.*2. vbi subdit, *Papa enim nunquam supplet defectum consensus. Sarnen.in compend.vtri.signa.num.71. vers.idem est. Rota decis.458.in fin.lib.3.p.3.diuers.* Deficiente igitur consensu Capituli in statutis contrarijs Bullæ, frustra allegatur contra Capitulum confirmatio Apostolica confirmatio non prodest, vt ex multis sentit *Rota decis.580.num.3.in recent.2.par.*

Vlterius statutum confirmatum à Papa non comprehendere casum,quem non comprehenderet,si Breue non emanasset,tenet *Rota decis.111.num.2.par.2.recentiss.* cui additur *decis.60.num. 1.in posthum.2.par.& decis.75.num.1. Ludouis. decis.511.num. 1.* Et dixerat priùs *decis.169.num.4. Ramon.d.cons.37.num.73.* Docens hanc esse naturalem regulā confirmationis; si non fuisset confirmatum statutum, absquè dubio non comprehenderet casum contrarium Bullæ,ergo confirmatio non debet comprehensionem extendere.

Et licet adsit confirmatio,non ideo infertur statutum esse Papale,quia in Bulla tribuitur Capitulo facultas statuendi,cum Archiepiscopo,vel Nuntio,& reuocandi statuta condita, atque ita confirmatio Papalis non est præcisè, & necessario ad validitatem requisita,& sic non denominat confirmatum à confirmante, sed à specifico efficiente, quia dicitur permisiua, & non formalis, *Bald.in l.ex placito,num.6. C.de rerum permuta. Felinus in cap.cum accessissent col.2.num.5.de constitu. vbi Decius nu.3. Iasson in l.more num.23.de iurisdict. omnium iudicum, Surdus cons. 58.num.20.lib.1.Stephan.Gratian.discepta.9.num.6. & discept. 300.num.54.* vbi concludit, *Quod transgressor talium statutorum etiam à Papa confirmatorum non puniatur tanquam transgrediatur statuta Papæ confirmantis, qui tunc confirmat velut*

causa vniuersalis nil noui iuris tribuendo.

Et si fateremur defectum nullitatis statuti conualidari posse confirmatione, id intelligi deberet si defectus nullitatis exprimeretur: secus si tacetur, & incognitus est confirmanti, *Castren. cons.* 107. *num.* 2. *per totum*, vbi loquitur in confirmatione ex certa scientia. *Ramon.* latè *decis.* 37. *num.* 76. At confirmanti non fuerunt notæ contrarietates statuti cum Bulla, & cæteræ nullitates, de quibus suprà: igitur non potuerunt confirmatione validari.

Tandem cessat omnis difficultas, quia ex materia statuti circa distributiones, & erectionem Bursæ erat specialiter delegata Archiepiscopo, vt patet ex Bulla *num.* 78. atquè ita in generali facultate statuendi, & confirmandi statuta venire non potest, iuxta ea quæ supradicta remanent; Quarè dici nequit confirmatum statutum, cùm eius confirmandi ius non haberet Nuntius Apostolicus. Ex quo pro nullitate statuti pronuntiandum arbitror, & maximam mihi spem præbet, quòd nullibi dictum fuerit à Rota sustineri posse statutum, etiam si contrarium appareat Bullæ.